ist — wodurch der Charakter einer Formelsammlung natürlich sofort deutlich gekennzeichnet ist. Zu welcher anderen aber unser Fragment gehört, habe ich bisher nicht feststellen können, und will deshalb die (wie auch die Anfangsbuchstaben) mit rother Tinte geschriebenen Ueberschriften hier mittheilen.

Bl. 1 Col. 1 beginnt mitten in einem Satze und schliesst: incendi conservastis.

Rubrum: Miles ad nobilem pro securitate conductus. Preclaro viro domino etc. promptitudinem benevoli famulatus.<sup>1)</sup> Pro expeditione ardui negotii . . .

Dann folgt immer die Antwort: R(esponsio), hier: Viro circumspecto etc. promptum animum complacendi. Revocantes (darüber geschrieben: Resumentes) ad memoriam . . .

Rubrum: Miles ad nobilem pro quibusdam latentibus insidiis. Ad possibilem eventum . . . R.: Si pendente arbitrio.

Col. 2 Rubrum: Miles ad nobilem pro reformatione pacis. Quia vestri subditi . . . R.: De nobis.

Rubrum: Miles ad nobilem pro exequendo mandato. Ex quorundam relatu mihi innotuit quod dominus Lantgravius vos prefecerit suis civitatibus H. et C. . . . R.: Vestre persuasionis.

Rubrum: Miles ad nobilem pro nocturno incendio. Cogit vigens . . . R.: Indignum reputamus.

Bl. 1' Col. 1 Rubrum: Miles ad nobilem pro treugis prorogandis. Cum propositionem vestre generositatis . . . . R.: Favoris continuum (?) incrementum . . .

Rubrum: Miles ad nobilem pro treugis prorogandis. Concepta ex impensis . . . R.: H. advocatus (?) . . . Indubitanter teneat.

Col. 2 Rubrum: Miles ad nobilem de lite exorta inter

---

1) In dieser Weise findet sich stets (ohne Namen) die Intitulatio, die wir in der Folge weglassen.

cognatos. Quia ex taciturnitatis (sic!) .... R.: Si discordantiam.

Rubrum: Miles exponit nobili ecclesiasticam (?) evocationem. Quia pretendit... unvollständig.

Blatt 2 beginnt ebenfalls mitten im Satz ... procuratorem; schliesst: presentibus post vie...

Col. 1 Rubrum: Incipiunt negociationes civium ad milites. Civis ad militem pro debitis solvendis. Sollicita me... R.: Obstante cujusdam egritudinis...

Rubrum: Civis contra premissa militis invehitur. Prolixè exspectacionis... R.: Licet contra me.

Col. 2 Rubrum: Civis militi insinuat (?) incrementum usure. Videns et cognoscens... R.: Si prius quam.

Rubrum: Civis militi exponit suum propositum. Cum per accrescentia... R.: Quia sollicita.

Blatt 2' Col. 1 Rubrum: Civis conqueritur militi illata sibi gravamenta. Quotiens et quando in bonis... R.: Auditū vestre querimonie.

Rubrum: Civis se militi patrocinio recommittit. Cum mala de die... R.: Deposcunt vestra merita.

Col. 2 Rubrum: Civis intendit curiam a milite. Referentibus quibusdam... R.: Ad plenam.

Rubrum: Civis ad militem pro reformatione edificiorum. Habito quodam (?) pacto... unvollständig.

Wie man sieht, ist der Inhalt dieses Fragmentes ein durchaus weltlicher, der sich auf die mittleren Stände bezieht. Vielleicht darf man mit Rücksicht auf den einmal vorkommenden „lantgravius“ die Entstehung der Sammlung in das mittlere Deutschland verlegen; einen gewissen kulturhistorischen Werth dürfte sie nach diesen Fragmenten jedenfalls besessen haben.

## Beilagen.

## Beilage I. Aus Formelbuch No. 3.

*Ca. 1221. Bischof Manasses von Orleans fordert seine Geistlichkeit auf, für den erkrankten König (Philipp II. August von Frankreich) zu beten.<sup>1)</sup>*

Episcopus presbiteris ut orent pro rege egrotante, quod Deus ei restituat sanitatem.

M. Dei gratia Aurelianensis episcopus universis presbiteris in episcopatu suo constitutis salutem et episcopalem benedictionem. Cum humana manus succedit officio medicantis, implorari debet divina clementia, quia semper vincit misericordia medicinam. Infirmittatis gravissime fatigari molestia regem nostrum vestra, fratres,<sup>2)</sup> experientia non ignorat. De salute regis desperant medici; lamentantur in cassum labores cedere, presumentes prius de sua fisica, quam nunc<sup>2)</sup> omnino vident et sentiunt impotentem. Unam tamen nobis fisicam experiri precipiunt, ut rogemus illum felicem medicum, qui non poseit pecuniam pro salute languentium, sed piarum orationum desiderat holocaustum. Quo circa firmitatem vestram in domino commonemus, quatenus per commissas vobis parrochias pro salute regis processionum humilitas indicetur. Scitis enim, quod vere filius erat ecclesie malignorum a rabie defendens ecclesiam et illius servitio deputatos.

## Beilage II. Aus Formelbuch No. 4.

*Ein Abt empfiehlt sich einer Herzogin von Oesterreich.*

Abbas ducisse Austrie.

Tam multa et tam pia jam diu fuerunt ad nos vestre virtutis beneficia, ut propter consuetam rerum experienciam in necessitatibus nostris ad vos cum fiducia recurramus. Ut igitur per affluenciam vestre consuete<sup>3)</sup> gratie consolemur, petimus humiliter ut, quemadmodum nobis semper esse dignamini domina compatiens et propicia consolatrix, sic et modo naviculam nostram sub umbraculum et conductum vestre protectionis et gratie assumatis, quatenus in sacrificio sacramentali necessarius iste

1) Cf. oben S. 449. 2) unsicher. 3) Hdschr. consue.

liquor per vestram benevolentiam habeatur et corpora debilium fratrum de vestra consolatione respirent, nosque precibus per vestram et karissimi<sup>1)</sup> domini nostri mariti vestri<sup>2)</sup> insistamus alacrius.

### Bellage III. Aus Formelbuch No. 6.

*No. 1. Ein Ungenannter spricht sein Bedauern aus, einen Anderen nicht haben sehen zu können.*

Expertus sum modo in re, quod sepe perceperam per auditum, quod infirmitates graves per se sole non veniant, sed secum ducunt socios passionis. Sic pro certo infirmitas me opprimens adduxit secum sociam se majorem, quod nec apud Linczam nec alibi fuit mihi possibilitas vos videndi. Ceterum cum vestra gratia ad omnes generaliter se extendat et quasi fons indeficiens influat et effundat de se sperantibus flumina gratiarum, illis tamen fluit et pluit dingne dulcius qui se vestre paternitati fideles exhibent et devotos.<sup>3)</sup> Unde cum in illorum numero et studio karissimus dominus meus venerabilis abbas per omnia se reponat, rogo humiliter quatenus cum in suo desiderio vestra benignitas audire benigne ac benignius exaudire dingnetur, ne laicalis calliditas, qui non solum per apertas, immo etiam per adinvenciones astutas personis adversantur ecclesiasticis injuste contra eum prevaleant, ea que sui juris non existunt injuste suis voluntatibus seu potius voluptatibus adtrahentes.

*No. 2. Die Mönche von Altaich bitten den Bischof von Passau um Bestätigung der Abtswahl.*

Quamvis dicta Pataviensis ecclesia tamquam fecunda genitrix in utero sue dyocesis plures gestet spirituales filias, Althensem tamen quadam speciali prerogativa caritatis consuevit delicacius amplexari. Cumque apud piam matrem multe filie congregaverint divi . . .<sup>4)</sup>, illa certe familiaritatis titulo supergreditur universas; quare, nos solite gratie privilegio innitentes, confidentius humiliter deprecamur, quatenus electionem nostram dominumque electum nostrum prosequentes favore benigno super consensum sue confirmationis et expedicione . . .<sup>5)</sup>

1) undeutlich. 2) es folgt ein Wort, welches nicht mehr deutlich sichtbar ist, aber aussieht wie Fundensis (?) oder ähnlich. 3) Hdschr. devotas. 4) Loch im Pergament. 5) Das Folgende weggeschnitten.

*No. 3. Ein Schreiben an einen Geistlichen der Diözese Salzburg (?), worin der Freude über das Ende der Bedrückung der Kirche (durch Ottokar von Böhmen?) Ausdruck gegeben wird.*

Inplacabilis secundi Oloferni ferocitas bellum sanctis constituit, dum princeps ille quem sua sevitia satis denominat, municiones ac possessiones alias ecclesiarum Dei irreverenter usurpat, jura patronatum sibi vendicat, clericos institutos per episcopos abiecit, alios non pro licito, sed pro libito instituit, claves contempnit, censuram ecclesiasticam in ludibrium perniciose temeritate convertit. Hic igitur non contentus parrochialium, immo nec ecclesiarum suffraganeorum gravamine, sanctam metropolim Salz(burgensem) invadere non expavit, temptans eam, que est domina gentium, princeps provinciarum, caput ecclesiarum plurium et magistra, non tantum redigere sub tributo, immo, quantum in ipso est, in totum subicere servituti, dum erectis contra eam doli et servicie cornibus illam sub tam seva calliditate ac callida sevicia conatur concutere, ut preclusis itineribus moncium et per consequens sublata facultate omnium victualium sine ferro capiatur et igne. Sed quia non est prudentia, non est consilium contra Deum, infatuatus est Achytofel in suo consilio et Pharo infortitudine exercitus est contritus, dum divina favente gratia princeps et presul Salz(burgensis) ecclesie victricia vexilla reportat, civitas requiescit in gloria, campi occisorum sanguine irrogantur, vulnerati abducuntur, sic fugiunt inglorii, qui prius de sua gloriabantur potencia, ut socius non expectet socium subsequentem. Quare pater et domine post longam sollicitudinem de dubio belli eventu prius<sup>1)</sup> habitam de vestro triumpho tripudio, de victoria gaudeo sic ut omnibus intimis leticia servatis<sup>2)</sup> tristicia in me non occupet ullum locum; si<sup>3)</sup> solum modo vestra dulcissima liberalitas complevisset erga F. dilectum avunculum meum suorum dulcedinem promissorum.

*No. 4. Ein Abt bittet einen anderen um Aufnahme eines Mitbruders in dessen Kloster.*

Abbas abbati.

Cum per bellorum turbines talis sit circa nos turbacio ut congregationem nostram nos oporteat disgregare, ideo petimus

---

1) Der Schluss zum Theil aus Formelbuch No. 4 (cf. oben S. 452).  
2) undeutlich. 3) si — prom. fehlt im Formelbuch 4.



ut fratrem talem in gremio vestri collegii pro tempore illius malicie foveatis, quem paternitati vestre tanto confidentius direximus quanto plenius vos scimus vigilas indesinentes sollicitudinis super gregem creditum observare.

*No. 5. Abschlüssiger Bescheid.*

Responsio.

Licet alias apud nos preces vestre vim habere debeant preceptorum, receptioni tamen fratris nobis transmissi magis obstat necessitas quam voluntas, quia sicut vester districtus hostilitate nudatur, sic loca nostra sterilitas insolita coangustat.

*No. 6. Rücksendung eines Geistlichen aus einem Kloster wegen der schlimmen Zeilläufe.*

Fratrem F. latorem presencium videlicet subditum vestrum, quem ob amorem ordinis ac vestri reverenciam ab autumpno anni preteriti usque nunc in nostro monasterio tenuimus, diucius eciam adhuc tenuissemus, nisi gravia dampna, que propter gwerras et dissensiones principum sustinimus, nos urgerent. Quare predictum fratrem ad gremium paternitatis vestre remittimus, vestram providenciam obnixius requirentes quatenus ipsius remissionem seu reversionem nobis non imputet, sed necessitatibus et incomodis supradictis, quem etiam vestre gratie sincerius in domino commendamus, petentes ut ipsum habere dingnemini nostri causa vobis diligencius recommissum. Dat.

*No. 7. Intervention zu Gunsten der Wittwe eines Colonen, Ch.*

Cum secundum sacre scripture doctrinam lacrimae viduarum ascendant ad dominum contra illos qui eas producere non verentur. est certe contra religionis mansuetudinem, si pauper vidua Ch. de tali loco precise desolata excluditur a prediis, que diu insimul coluerunt, cum possessiones illas fecisse credantur sumptibus et studio meliores tam in servitutibus rusticis quam urbanis et habuerunt aliqualem saltem tytulum in eisdem. Quare tamquam zelator vestre salutis rogo et consulo, quatenus, etsi possessiones easdem habere non prevalet nec expedit in pingwedine primi juris, ad minus in locacione et pensione competentem moderamine colonis aliis preferatur, ut et vos a Deo, qui protector est viduarum, benedictionem consequamini, scandalum evitetis, prebeat aliis virtutis exemplum nec terreatis

cultores in prediis ecclesie servientes meque capellanum vestrum, cui causa privationis eorum, sicut scitis, imponitur, in statu conscientie non ledentes.

*No. 8. Klage über den Tod eines Verwandten (eines Neffen des Schreibers).*

Super innocenti cede karissimi nepotis mei, quem nuper in occisione gladii fera pessima devoravit, concludor in doloris dolio, in me geminatur gemitus, stringor et scindor singultibus et mare amaritudinis operit caput meum, quia orbatus sum iocunditatis oculo ac senectutis baculo destitutus; et dum crederem me in ejus persona delectari in leticia et in delectatione letari, flos ille meus in ipso suo ortu occidit; et dum sperarem eum habere superstitem, nunc ordine turbato secum descendit meus spiritus in sepulchrum. Verum quia in omnibus angustiis in vestra paternitate unica est mihi respiracio et spes de vobis habita prebet mihi reclinatorium post labores: rogamus humiliter quatenus sinceritatem de vobis diu dulciter divulgatam in hoc quoque negocio conservantes cupiditati humane divinum preponatis amorem, presentato per nos canonice sicut vestra interest . . .<sup>1)</sup>

*No. 9. Bitte um Intervention zu Gunsten einiger Geistlicher des Klosters Metten.*

Considerantes vigili mentis oculo quod non bene et cetera vide supra.<sup>2)</sup> Cum igitur professi ac subditi quidam venerabilis domini abbatis de Metem vestre dyocesis per quendam fratrem minorum talem nec non suos complices pro quodam strepitu multis importunitatibus ex parte ipsorum habito in quadam ecclesia filiali ipsorum dominorum de Metem ad respondendum coram vobis sint judicialiter evocati, discretioni vestre, de<sup>3)</sup> qua gerimus fiduciam pleniorum, supplicamus, quatenus ipsos auctores . . .<sup>3)</sup> precibus ante litis ingressum ob nostrarum precum instanciam, ut ipsorum gravamine per bonum pacis ac de sapientum consilio resipiscant, inducere studentis ad parcendum laboribus et expensis; quod apud vos ac ordinem ipsorum in quibuscunque possumus libentibus animis volumus promereri, scituri quod in similibus immo sine excepcioni in omnibus que

---

1) Das Folgende weggeschnitten. 2) Fehlt in unserem Fragmente. 3) undeutlich, weil kleines Loch im Pergament.

nobis rationabiliter mandaveritis, vicissitudine vestre providencie rependemus.<sup>1)</sup> — Scientes quod si nostrarum precum eritis propicius exauditor, ad quevis similia vel majora vobis libere obligamur. Si vero repulsam, quod minime speramus, senserimus, vos ac vestros volenti animo ut prius minime intendimus promovere.

*No. 10. 1331 Aug. 31. Appellation des Propstes Hartlieb von Oetting gegen die Uebergriffe eines Pfarrers von Pleideskirchen hinsichtlich eines Vikariats der Oettinger Kirche.<sup>2)</sup>*

.....<sup>3)</sup> Anno domini MCCCxxxi pridie kal. Septembris nobis Hart(lieb) preposito ....<sup>4)</sup> Otingensis ecclesie Salzburgergensis dyocesis in choro nostre ecclesie constitutis, discretus vir dominus F. plebanus in Plaeideschirchen Salzburgergensis dyocesis dicens, se sub ....<sup>5)</sup> nobis exhibuit ex parte ...<sup>6)</sup> Frisingensis dyocesis super provisione sibi facta in dicta ecclesia nostra ..... continentes processum contra nos habitum, nisi mandatum apostolicum exsequeremur.<sup>4)</sup> Quibus literis lectis plenarie et inspectis invenimus eas veritate tacita impetratas; qua expressa ipsas nullatenus impetrasset. Subpressit enim vicariam perpetuam ecclesie Oetingensis nove Salzburgergensis dyocesis quam tempore inpretationis et olim<sup>4)</sup> possedit et adhuc pacifice possidet et quiete. Quam si expressisset, litteras nullo modo habuisset. Quare<sup>4)</sup> sencientes nos et ecclesiam nostram indebite a predicto exsecutore suo tali ac subexsecutori<sup>4)</sup> eandem indebite pregravari ac in posterum gravari posse, in hiis scriptis<sup>4)</sup> ad sedem apostolicam appellamus et apostulos instantanter instancius et instantissime a vobis subexsecutore vel ab eo qui eos de jure dare tenetur petimus subicientesque<sup>4)</sup> nos ac statum nostrum et ecclesie nostre protectioni ac defensionem sedis apostolice; asserentes etiam predictam causam esse veram ac etiam nos legitime posse probare. Interposita est hec appellacio anno domini MCCCxxxi in loco tali et hora diei tali. Testes vero hujusmodi appellationis qui interfuerunt nominatim asscribantur.

---

1) Nach einem kleinen Zwischenraum folgt die oben angegebene Variante. 2) cf. oben S. 455. 3) Die ersten Worte unleserlich. 4) undeutlich. 5) drei Viertel der Zeile unleserlich. 6) die halbe Zeile undeutlich.

**Bellage IV. Aus Formelbuch No. 7 (des Riccardus de Pofis).<sup>1)</sup>***No. 1. Einleitung in die Summa des Riccardus.*

Incipit summa dictaminum magistri Riccardi de Pophis.

Novitiorum studia janua sibi cupientium aperiri dictatorie facultatis circa stilum, quem Romana servat ecclesia, debent assidua meditatione versari, cum ille sit eruditio radium, sit doctrina scolarium, bonorum illuminatio et perfectio provectorum. Congrua quidem amplectens, clara collaudans, observans propria et exquisita requirens indecentia respuit, obscura contempnit, detestatur inpropria, et rudia vilipendit. Hec igitur in ordinatione cujuslibet epistole sunt diligentius attendenda, ut dictamen, decora compositione prefulgens, indicet quod scribitur ex corde prodire scribentis et per hoc facilius ad dandum effectum precibus recipientis animus inducatur. Cum autem epistola dicatur ab epy, quod est supra, et stolon, quod est missio, quasi supramissio, talis ordo in ipsa mittenda digne requiritur, quod salutationis titulus antecedit. Ponatur immediate prohemium, sicut facti qualitas exigit, ac tandem narrato negotio conclusio subsequatur. Et quia dictamen nichil aliud est quam congruus cujuslibet rei tractatus, ad rem ipsam convenienter applicitus, videndum est quod debeat pro ipsius congruitate servari. Profecto congrua debet esse locutio meritis personarum et qualitibus negotiorum inspectis. Nam alloquendi sunt principes reges ceterique magnates secundum suarum precellentiam dignitatum; verba vero minoribus considerata sui status conditione scribuntur, ut si papa imperatori, regi vel principi scribat, decet oratorem uti vocabulis, que congruant altitudini talium personarum. Illos enim karissimos in Christo filios in titulo salutationis appellat. In narratione vero imperialem vel regiam celsitudinem serenitatem excellentiam vel magnificentiam rogat attentius et hortatur; seque premitit omnibus cujuscunque dignitatis, conditionis existant et illud scilicet salutem et apostolicam benedictionem et est ad omnes fideles pape salutatio generalis. Excommunicatis autem scribit: spiritum consilii sanioris. Paganis vero: Deum diligere et timere.

---

1) Die ersten Stücke und einige weitere sind aus der Berner Handschrift abgedruckt, bei den im Fragment der hiesigen Bibliothek überlieferten habe ich dieses zu Grunde gelegt, weil hier die besseren Lesarten sich finden (= 1), und die Varianten aus der Berner Hdschr. unter 2 angegeben.

Patriarchas insuper, archiepiscopos et episcopos vocat venerabiles fratres, reliquos omnes dilectos filios nominando. Secundum autem predictum stilum scribendo imperatori vel regi vocat eos in narratione karissimos in Christo filios nostros, in salutatione tacetur. Hoc idem servatur in patriarchis, episcopis et cardinalibus, cum etiam presbiteros et dyaconos cardinales dilectos filios nostros appellat in processu narrationis. Verum imperatores et reges et ceterae persone magne mediocres et humiles si pape scripserint, dicunt sanctissimo in Christo patri et domino . . Dei gratia sancte Romane ecclesie summo pontifici . . imperator vel rex reverentiam filialem et pedum oscula beatorum. Aliae inferiores persone juxta suum libitum ad invicem se salutant. Illud autem observandum est quod provinciarum rectores omnibus de suis provinciis exceptis in episcopali dignitate positos se premittunt; sed si cardinalis rector extiterit, etiam episcopis in salutatione prefertur. Preterea dum papa scribit imperatori vel regi, rogat, non precipit, nisi talis urgeret necessitas, quod esset forte contra illos per sedem apostolicam procedendum. Aliis indifferenter preces et mandata dirigit secundum clementiam apostolice sanctitatis. Ceterum in papalibus litteris potissime congruit, quod verba ponderis, verba modestie, paternitatis, benignitatis et justitiae dirigantur. Nec convenit quod saltem in rescriptis apostolicis dictator lasciviat in verbis risilibus sive levibus aut quomodolibet vagantibus extra limites gravitatis nec insistat superfluitati verborum nec cum aliquis gravissimus sit exaggerandus excessus, ubi non potest sub paucitate verborum mandatoris beneplacitum explicari, vel etiam cum aliquis est de immensa devotione aut sanctitate laudandus. Non enim decet papam verbis nimis gravibus aut supervacuis implicari. Posito enim quod papa mittat nuncium cum litteris de credentia, in illis prohem(ium) vel ornatus locum sibi non vendicant, set dicitur simpliciter: Ecce quod dilectum filium . . ad te duximus destinandum. Discretionem tuam precum auctoritate mandantes quatenus credas indubitanter, quae tibi ex parte nostra duxerit referenda. Simpliciter<sup>1)</sup> quando scribit aliquem ad suam presentiam evocando, sic breviter dictator expediat: Cum presentia tua sit nobis pro quibusdam negotiis oportuna, mandamus quatenus statim sine difficultate qualibet accedere ad nos personaliter non postponas et

---

1) wohl zu lesen: similiter.

sic de similibus, in quibus stilus hujusmodi requiretur. Item ex claritate lucet et delectat epistola et tenebrescit ex nimia brevitate vel obscuritate verborum; unde quanto negotium est altius, tanto ad intelligentiam omnium clarius est scribendum. Quid enim valet auctorum aut quorumcumque verborum profunditas, ex qua plenus non apprehenditur intellectus? Et ideo si exposcat magnitudo negotii, quod aliqua ex dictis sanctorum seu prophetarum vel philosophorum assertionibus inducantur, illa sic convenit lucide ac aperte describi quod explanari liquido valeant, vitio cujuslibet obscuritatis excluso. De servandis quoque proprietatibus vocabulorum et sententiarum orator quam plurimum debet esse sollicitus, ne Latinum adulterinis seu peregrinis significationibus implicetur. Studeat igitur quod significatio verbis secundum sui naturam inhereat et sententie sint appropriate materiis tam in auctoritatibus quam exemplis, ut rationabiliter et proprie applicetur materie quod fuerit per auctoritates aut sententias introductum. Et licet sepe transumptive loquamur, tamen expedit, quod transumptio sit similitudinaria rei de qua scribitur, ut si velimus dicere quod interdum navicula Petri procellarum fluctibus agitur vel impetatur, talis transumptio satis est rationabilis; nam per fluctus procellarum proprie possumus intelligere vexationes secularium tempestatum. Sed si diceretur, quod impetitur fluctibus montium, hoc esset inproprium, cum fluctus non competant montibus, sicut nec aper undis nec pisces nemoribus. Ad hec in magnis et arduis negotiis exquisitis verbis uti nos convenit, ut dictamen sub colore verborum ornatus elegantia et florida compositione decurrat. Exquisita dicimus<sup>1)</sup> quod, cum ad unam eandem significationem plura nonnumquam possint inveniri vocabula, decet dictatorem curiosum existere ut illud inveniat, quod alia decore precellat et per quod magis elocutio decoretur, et si forsitan illud in concepta serie adaptare non poterit, vertat vel ad aliam seriem se convertat, cum possit eadem sententia multimode sub diversorum verborum varietate formari. Et est etiam vigilandum quod inter alia vitetur hyatus, videlicet quod si dictio precedens finiat in vocalem, immediate sequens non incipiat ab eadem; immo nec ab alia vocali, si comode fieri potest. Vitandum est preterea quod sequens dictio a consonante littera vel a simili sillaba non incipiat in quam desinit que precessit,

---

1) *korrigirt aus dominis.*

prout in carminibus observatur; licet enim consueverit in prosa usquequaque servari, vitium quidem est, sed non mortale peccatum. Porro datur a magistris secundum rhetoricam certa doctrina colorum et certum magisterium figurarum. Sed quia hec non ex arte tantum quantum<sup>1)</sup> ex ingenio et studii sedulitate captantur, non insistimus ad colorum et figurarum specificationem per singula. Nam si dictator velit esse sollicitus, dum ad ornatum intentus extiterit, ex se ipso coloribus et significatam locutionibus epistolam venustabit, quia omnis venusta locutio aliquem habet necessario in se ipsa colorem. Cum autem dictamen requirat totum hominem, ut nulla sit sibi ad alia suorum disgregatio sensuum, expedit quod dictator non vacet a studio et in hiis que voluerit dicere animo sit intentus totamque suam materiam in mente complectens, ac si vellet proprie conceptum proferre sermonem, cui esset epistola dirigenda Latinum considerans<sup>2)</sup> personarum conditionibus et negotiorum qualitatibus ordine debito prosequatur; hec inter alia diligenter attendens, ut solitum et ordinatum cursum observet in fine quarumlibet clausularum, qui potissime attenditur in duabus dictionibus finitivis, videlicet quod penultima dictio sit trisillaba vel tetrasillaba, cujus penultima sillaba sit correpta. Ultima vero dictio clausule sit quadrisillaba cujus penultima sit producta, ut in hoc exemplo: faciam liberaliter quod scripsistis, cupiens in hoc et in aliis vestrum beneplacitum adimplere. Vel sint ultime due dictiones dissillabe loco unius quadrisillabe ut ibi: cum filiali fiducia vobis aperio mentem meam. Item, si penultima dictio sit trisillaba vel tetrasillaba productam habens penultimam, ultima debet esse trisillaba, cujus penultima similiter sit producta, ut hic: litteris vestris qua decuit affectione receptis ex earum tenore suscepimus jocunditatis augmentum. Et sic prosequendo Latinum quaecunque dixerimus laudabilia censebuntur; nec dubitet orator ad inveniendum, unde possit suum dilatare sermonem, animum et oculos aperire. Nam si mentem ad ea que congrua fuerint materie duxerit adhibendam, illico sibi multa concurrent, quibus loqui diffuse poterit juxta sue libitum voluntatis. Verum quia facilius ex forma quam ex sola materia rei formande potest haberi doctrina, quasdam litteras diversarum formarum secundum Romane curie stilum ex mandato superioris et ingenii mei parvitate

---

1) oder quam? undeutlich. 2) wohl zu lesen: consideratis.

confectas sub certis titulis et distinctionibus rubricarum feci presenti opusculo principaliter ad honorem Dei et utilitatem rudium annotari, prout inferius apparebit, ut a singulis, quibus aliquid fructuum ex hiis provenire contingerit, nomen altissimi devotis laudibus extollatur.

*No. 2. Verleihung einer päpstlichen Skriptorstelle.*

f. 104' De officio scriptorie.<sup>1)</sup>

Circa servitia . . electi olim camere nostre clerici diutius in eadem camera conversatus<sup>2)</sup> testimonium asseverant, quod meritum experimento probaris honeste conversationis et vite, devotione sincerus ac in exhibitione obsequiorum fidelis. Ut igitur ad querenda virtutum dona eo propensius animeris, quo favorem apostolicam ratione predictorum magis tibi propitium senseris et benignum, intendentes specialiter . . electi et . . camerarii predictorum annuere precibus pro parte nobis humiliter supplicarunt,<sup>3)</sup> officium scriptorie nostre, recepto a te mandato nostro per . . vicecancellarium solito juramento, tibi auctoritate apostolica de speciali gratia duximus committendum, ut illud ad quod haberis ydoneus tua devotio prudenter et fideliter exequatur; ita tamen quod eo usque ad biennium non utaris.

*No. 3. (1262 oder 1263.) Urban IV an den König (von Frankreich?) über die Unterhandlungen mit Manfred.<sup>3)</sup>*

f. 83 Commendat papa regem, qui diligit ecclesiam, et signat quedam de adversario ecclesie.<sup>4)</sup>

Quia tamquam princeps Christianissimus studium providentie salutaris amplecteris, sic vigilem in rebus agendis diligentiam adhibes, sic circa cautelam in futuris aciem circumspecte mentis apponis, ut procedant salubriter que tui maturitate consilii diriguntur. Hanc itaque considerationem habentes in te, quem erga Deum et Romanam ecclesiam novimus clare devotionis titulis insignitum, super negotiis ejusdem ecclesie, cujus inter ceteros principes orbis terre catholicos, zelator honoris et exaltacionis ipsius precipuus amator existis et maxime super facto regni Sicilie, quod in precordiis ipsius ecclesie geritur, olim duximus cum fiducia consulendum, ut regio libra-

---

1) bildet eine selbständige ‚pars‘. 2) sic! 3) cf. oben S. 464.  
4) zu pars XVII gehörig: De rumoribus et inquisitionibus.



tum<sup>1)</sup> et discussum examine procedere posset utiliter et felicibus auspiciis Christi pietate previa promoveri. Tu vero ipsius negotii conditione pensata fore videbas expediens, quod ageremus cum honore ipsius ecclesie ad reformationem pacis cum Manfredo dudum principe Tarent(ino), sicut ex parte tua nobis extitit intimatum. Nos igitur attendentes quod ferventer animum dirigis ad ea que nostrum et memorate<sup>2)</sup> respiciant commodum et honorem, haberi cum ipso fecimus expressum diucius de huiusmodi pace reformanda tractatum; et cum speraretur ipsum negotium per ea que tractata fuerunt debere ad honorem ecclesie prefate feliciter consumari, dictus M. nobis et eidem ecclesie more<sup>3)</sup> solito tamquam vir deceptionis illudens in die cene domini proximo preterito, astante coram nobis et fratribus nostris apud Urbem Veterem fidelium de diversis mundi partibus multitudine congregata, quosdam non pro consumanda, sed pro dissipanda potius pace predicta nuntios ad sedem apostolicam destinavit, qui ad<sup>4)</sup> presentes<sup>4)</sup> exprimentes verbo quod idem M. gestabat in pectore non solum quod non ad pacis consumationem intenderent, imo nitebantur nostros processus contra dictum M. habitos depravare.<sup>1)</sup> Profecto conspeximus quod obstinatus ille tyrampnus de malo labens in pejus, quanto dicte sedis benignitatis affluentis verba misericordie sibi liberalius obtulit, tanto factus ingrator viam salutis obtusis intelligentie sensibus aspernatur. Quare, fili karissime, premissa tue serenitati significare decrevimus, cupientes regiam non latere noticiam, que nos et eandem ecclesiam vel statum ejus precipue talium arduitate gestorum contingere dinoscantur.

No. 4. 1264 März 14. Urban IV beglückwünscht den König Ludwig von Frankreich wegen dessen Beilegung des Zwistes in England.<sup>5)</sup>

f. 115 De ordinatione facta inter regem Anglie et barones.<sup>6)</sup>

Regi.<sup>7)</sup> Exultantes<sup>8)</sup> in plenitudine pacis pacificum omnibus orbis terre provinciis, in quibus cultum divini nominis vigere novimus, intimis desideriis affectamus, sed eo specialius regnum Anglie desideramus in tranquillitate manere, quo illud majori affectione prosequimur et quo ferent precordia nostra

1) sic! 2) fehlt ecclesie? 3) undeutlich. 4) unterstrichen.  
5) cf. oben S. 470. 6) zu pars XLII gehörig: De compositionibus.  
7) fehlt 2. 8) exultans 2.

molestius, si, quod absit, regnum ipsum cujuslibet vexari contingeret turbine tempestatis. Hæc profecto est regnum quod sedes apostolica paterne benivolentie oculo respicit cuique divino munere presidet rex devotus, carissimus ecclesie Romane filius, et in quo fides<sup>1)</sup> orthodoxa devoto ac sedulo cultu multipliciter honoratur. Graves siquidem<sup>2)</sup> et amaras suscepimus in corde puncturas, quod humani generis inimicus, pacis emulus et scandalali suscitator, dulces amaricare satagens tranquillitatis Christiane delicias in eodem regno dissensiones ac<sup>3)</sup> scismata procuravit; sed demum resumpsimus grandem nec mirum in mente letitiam, quod<sup>4)</sup> iniquis superne potentie virtute repressis salutare unionis integritas detestabili deformata dissidio tuo vigili<sup>5)</sup> et operoso ministerio dicitur reparata et reformatione congrua subsecuta.<sup>6)</sup> Ex litteris namque tuis et . . regis accepimus, quod, cum super discordiis et controversiis inter eundem regem et ipsius regni barones circa multa et varia suscitatis in te fuisset a<sup>7)</sup> partibus de alto et basso concorditer compromissum de observandis omnibus que in hiis statueres et ordinares, hinc inde corporali prestito juramento, tu<sup>8)</sup> pensata negotii qualitate ac in premissis regali habita consideratione consilii tui<sup>9)</sup> super hiis dictum sive arbitrium proferens per certam ordinationem discordias et controversias hujusmodi terminasti, in qua. fili karissime, gratum Deo servitium<sup>10)</sup> et<sup>10)</sup> sacrificium te credimus immolasse, dum predictum regnum incentiva seditione<sup>11)</sup> concussum ad statum pacificum reduxisti.<sup>12)</sup> Unde letamur et exultamus in domino, quod tam laudabiles fructus ex tuis provenere<sup>13)</sup> laboribus, quod tam viriliter illius catholice religionis<sup>14)</sup> obviasti periculis<sup>15)</sup> et quod in hoc ipse pater altissimus honoris tui culmina sublimavit. Gaudemus inquam de ipsorum<sup>16)</sup> tranquillitate regis et<sup>17)</sup> regni nec minori jucunditate reficimur, quod tanta dissensio plena tot ignibus odiorum oportuna<sup>18)</sup> medele remedia te operante recepit. Cum enim tamquam princeps Christianissimus habeas zelum pie<sup>19)</sup> devotionis ad Deum, lites odias,<sup>20)</sup> detesteris<sup>21)</sup> injurias, pacem diligas et justitiam amplexeris, in dubium nequaquam referimus,

---

1) sedes 2. 2) oculi *add.* 2. 3) et 2. 4) pro 2. 5) pervigili 2.  
6) obsecuta 1. 7) de 1. 8) ita? 1. 9) tuum 2. 10) fehlt 2.  
11) conditione 2. 12) quietum reducere studuisti 2. 13) venere 2.  
14) regionis 2. 15) abinasti pericula 2. 16) ipsius 2. 17) fehlt 1.  
18) oportune 2. 19) pure 2. 20) lite ordias 2. 21) detestaris 2.

quin in predictis illam duxeris diligentiam adhibendam que Deo placeat ac hominibus merito<sup>1)</sup> sit accepta. Super eo vero quod tu et rex prefatus<sup>2)</sup> arbitrium seu ordinationem hujusmodi petiisti apostolico munimine roborari, quaesumus<sup>3)</sup> tua excellentia teneat, quod affectu sincero intendimus in hoc et in aliis annuere votis vestris, cum utriusque personam utpote nobis amatissimam prerogativa dilectionis intime prosequamur. Verum quia originalis ordinationis littera seu dicti vel arbitrii nobis et fratribus nostris non extitit presentata, nequivimus super hiis juxta regie petitionis tenorem sollempnis et efficacis confirmationis munimenta concedere, sequendo in hoc tam juris debitum quam dicte sedis circa talia consuetudinem approbatam. Cum autem ordinationem seu arbitrium sub patentibus litteris suo sigillo signatum nobis feceris presentari, nos tuis et dicti regis postulationibus in hac parte ad tuum et ipsius honorem ac digni<sup>4)</sup> regni statum prosperum et tranquillum favorabiliter annuemus.

*No. 5. 1264 Mai 14. Urban IV zu Gunsten der Universität in Palencia.<sup>5)</sup>*

f. 53 Quod fiat contributio in subsidium magistrorum.<sup>6)</sup>

Colebat<sup>7)</sup> hactenus deliciarum ortum civitas Palentina, de cuius portis fons irriguus emanabat. Ortus ille profecto fructus uberes producebat, quorum suavitatem et dulcedinem ad diversas mundi partes fluenta fontis uberime derivabat. Erat enim in eadem civitate, sicut ex parte . . episcopi et capituli fuit propositum coram nobis, scientiarum studium generale, rudes crudiens et reddens debiles virtuosos et viros efficiens virtutum varietate fecundos. Horum quoque generosa fecunditas litterarum dignitate plurimos instruebat, et quia per hoc non solum Palentie sed tota solebat Yspania spiritualibus et temporalibus percipere comoditatis augmentum,<sup>7)</sup> monasteria et ecclesie . . provincie tam exempta quam non exempta in salario magistrorum regentium ibidem pro tempore cum eisdem . . episcopo et capitulo consueverant ab antiquo certam ponere portionem. Eisdem vero ecclesiis et mon(asteriis) ab hujusmodi contributione cessantibus dicti magistri et scolares per

1) fehlt 1. 2) bis hierher 1. 3) qs 1. 4) sic! 5) Cf. oben S. 468. 6) zu pars IIII gehörig: De subsidiis. 7) Colebat — augmentum gleichlautend mit der andern Bulle.

consequens a dicte civitatis studio recesserunt. Quia<sup>1)</sup> vero, sicut accepimus, ipsius studii reformatio potest eidem provincie multipliciter existere fructuosa, nos nolentes quod propter huiusmodi defectum olei lucerna tante claritatis in comune multorum dispendium sic extincta remaneat, sed cupientes potius partes nostras adicere ut solito fortius accendatur,<sup>1)</sup> mandamus quatenus, si est ita, prelatos capitula conventus collegia et clericos ecclesiarum ac monasteriorum ipsorum ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut in eorundem salario magistrorum, qui pro tempore scholas in civitate prefata rexerint, sicut consueverunt, contribuant cum capitulis et episcopis memoratis, ita quod ibidem dicto studio dante Domino reformato in ipso fideles Christi proficiant et per eos cultus divini nominis ampliatur.

No. 6. 1265 (?). Clemens IV drückt Karl von Anjou seine Freude über den missglückten zweimaligen Vergiftungsversuch aus.<sup>2)</sup>

f. 111. Letatur papa quod quidam evasit periculum venenose potionis.<sup>3)</sup>

Nuper ad auditum nostrum rumor plenus merore pervenit, quod mestice nebule<sup>4)</sup> mentis apostolice serenitatem obnubilans de dubio statu filii paterna timoris gladio viscera vulneravit. Audivimus inquam, fili devotissime, quod quidam emuli tui et nostri per consequens inimici necem tuam per excogitatam malitiam procurantes semel<sup>5)</sup> et iterum fecerunt tibi propinari venenum, modica tamen utraque vice quantitate fellite potionis exhibita, ne subita persone<sup>6)</sup> quod absit extinctio scelus et patratores sceleris indicaret; procurato nichilominus quod Femariensis<sup>7)</sup> civitas, sedis apostolice filia specialis, statim patrato maleficio proditorialiter hostibus traderetur. O quam horribile facinus<sup>8)</sup> et irreparabile dampnum, si prevaluisset impiorum severitas et Romanam ecclesiam, matrem tuam, in tanti ammissione filii perpetui doloris aculeo sautiasset! cum non solum in tuis sed in cunctis Italie partibus nominis tui fama sua claritate resplendeat et ceteris exemplum devotionis et fidelitatis ostendat. Profecto satis aperte cognoscimus, quod tantum malum machinabantur illi

---

1) Quia — accendatur gleich der anderen Bulle. 2) Cf. oben S. 463. 3) zu pars XXIX gehörig: De recessu pape, de misericordia ejus, de responsivis benivolis et de oblatione servitiorum. 4) fehlt etwas oder Schreibfehler? 5) Hier beginnt das Münchener Fragment (= 1). 6) fehlt tue? 7) so 1; Ferrariensis 2. 8) ferimus 2.

malefici pro fidei puritate, quam ad Dei laudem et reverentiam diete matris et libertatis ecclesie conservationem observas, cum in tuo defectu opprimeretur ecclesia et hostium malignitas amplius lasciviret sibi que latius terminos dilataret. Verum tamen pius et misericors<sup>1)</sup> dominus potenter obvians iniquorum<sup>2)</sup> malitiis eorumque pravitas<sup>3)</sup> cogitationes effectum consequi non permittens ac misericorditer ex alto prospectans quod beneplacitis ejus studiosus<sup>4)</sup> adherens studia tua in ejus obsequia magnitudine prompta convertis, voluit pieque providit ut<sup>5)</sup> personam tuam predilectam nobis non lederet illud mortiferum quod bibisti. Super quo<sup>6)</sup> sibi gratias cum laude referimus, quod a tali pernitie te clementer eripuit et conservavit<sup>7)</sup> incolumem ac eandem civitatem sub tanto perire precipitio non permisit. Cum autem super premissis nondum ad nos veritatis plenitudo pervenerit et desideramus anxie de tui status prosperitate letari, rogamus quatenus mentem nostram jocunda responsione letificans reddas nos celeriter de tua continentia certiores, ut calix amaritudinis in hujusmodi rumorum susceptione gustatus transeat in haustum<sup>8)</sup> dulcedinis habita tue certitudine<sup>9)</sup> sospitatis.

*No. 7. Nach 1266 Februar 26. Ein Kardinal an Karl von Anjou: spricht seine Freude über dessen Sieg aus und erinnert zugleich an die eingegangenen Verpflichtungen.<sup>10)</sup>*

f. 112' Gloriatur de victoria . . regis et aliis.<sup>11)</sup>

In precordiis nostris assidue resonat laudis jocunde cantum, quod in processibus vestris previum habentes altissimum hostes Dei et ecclesie cum triumpho mirifico superastis, illis quos diu conditio servilis oppresserat, ad libertatis optate gaudia restitutis. Conceptam autem letitiam super<sup>12)</sup> hoc<sup>12)</sup> exprimere nequeo nec narrare sufficio vestre gloriam majestatis et ideo mentem ad Deum tota devotione converto et ipsius clementiam exoro suppliciter, ut felicibus semper auspitiis de alto in altius culmina solii regalis exaltet.<sup>13)</sup> Propterea noverit vestra sinceritas, quod . . clericus vester, quem ad sedem apostolicam destinastis, apud dominum papam et mercatores cum omni solli-

1) pius misericordiarum 1. 2) in quorum 2. 3) pravitas 2. 4) in 1 undeutlich. 5) in 2. 6) qua 2. 7) servavit 2. 8) austum 2. 9) celsitudine 2. 10) cf. oben S. 462. 11) zu pars XXXVI gehörig: De victoria. 12) fehlt in 2. 13) exaltat 2.

citudine ac assiduitate laboris instantia vigili continue visitare non desiit nec etiam me reddidit sue procuracionis expertem, ut<sup>1)</sup> obtineret expediri negotium,<sup>2)</sup> pro quo extitit destinatus. Verum tamen a varietate intricacionum explicitus hodie solummodo festinanter<sup>3)</sup> extitit expeditus. Decet<sup>4)</sup> autem providentiam regalem attendere ac intra<sup>5)</sup> se ipsam elementem et benignam deliberationem<sup>6)</sup> habere, quam gravibus dispendiis tam ecclesia Romana quam alia loca ecclesiastica, nisi mercatoribus Romanis in statutis<sup>7)</sup> ad hoc terminis satisfiat,<sup>8)</sup> poterunt verisimiliter subiacere.<sup>9)</sup>

No. 8. *Nach 1266 Februar 26. Clemens IV beglückwünscht Karl von Anjou zu seinem Sieg über Manfred.*<sup>10)</sup>

f. 112' De victoria regis.<sup>11)</sup>

Regi. Exultat terra gaudiis et celestem patriam laudibus exultare speramus, quod nuper altissimus in populum quem sanguine suo pretioso redemit, rorem sue benedictionis infundens<sup>12)</sup> sub tuo<sup>13)</sup> felici regimine sanctam matrem ecclesiam et fideles ipsius celestis decore glorie voluit illustrari, ut ostendens in inferioribus sue potentie majestatem elementer alliceret ad superiora redemptos nec innumerabilium cruciatuum afflictione gravatos languere diucius sub persecutione tyrannica<sup>14)</sup> pateretur. Quare<sup>15)</sup> Deum patrem et dominum anima nostra magnificat sibi que ad laudes et gratias reverenter assurgit, quod noviter eandem ecclesiam splendore nove lucis illustrans potenter ab ejus aspectibus,<sup>16)</sup> que diu sine intermissione duraverant,<sup>17)</sup> tenebras effugavit, gloriosam contra publicum hostem Manfredum quondam principem Tarentinum tibi celitus victoriam tribuendo, sicut in litterarum serie gratiosa,<sup>18)</sup> quas nobis regia celsitudo transmisit, plenius continetur. In quarum vociva recepcione ac lectione repetita frequenter et earum expositione sollempni coram diversarum nationum<sup>19)</sup> gentibus ad hoc specialiter<sup>20)</sup> apud sedem apostolicam congregatis nobis et fratribus nostris exultantibus ingenti leticia psallit clerus, tripudiat

1) nec 2. 2) expeditionem negotii 2. 3) finaliter 2. 4) deceat 2. 5) infra 2. 6) clementi et benigna deliberatione 1. 7) instantibus 1. 8) satisfaciat 2. 9) subiace 1. 10) cf. oben S. 460. 11) zu pars XXXVI gehörig: De victoria. 12) effundens 1. 13) suo 2. 14) tyrannica 2. 15) ? 1; quia 2. 16) affectibus 2. 17) duraverat 1. 18) gliosa 2. 19) narrationum 2. 20) et earum add. 2.

populus et sexus utriusque consortium offert in sacrificium laudis altissimo vitulos laborum. Profecto, fili karissime, de victorie fructu et quod tam laudabiliter triumphasti plus quam enarremus presentibus jocunditatis immensitate letamur, et illud nec mirum in canticum apostolice jubilationis additur, quod in illius civitatis territorio, que ad eandem ecclesiam immediate pertinet, hostium capita dimicatione<sup>1)</sup> strenua contrivisti quodque dominus exercitum prope civitatem eandem, quam dicti persecutoris progenitores inmaniter afflixere<sup>2)</sup> diutius, ut in perempnem sui memoriam nominis notaretur, eorundem catervas hostium tue potentie brachio deprimi voluit et consterni. Verum in eo non minus immensitas assumpte jocunditatis excrescit, quod fama felix et nomen ingenuum victoriose strenuitatis et devotionis eximie inclite domus Francie, cui dominus benedixit, in tuorum felicitate processuum, dum tui solium culminis exaltatur, humanis ellata<sup>3)</sup> preconiis digne<sup>4)</sup> suscipiunt incrementa. Sed nec esset<sup>5)</sup> otiosum attendere nec notare superfluum, quod tu et alii servi crucis vivifice ac<sup>6)</sup> iudices crucifixi die et horis de crucis hostibus triumphastis,<sup>7)</sup> quas ad habendam Christi victoriam pia mater ecclesia sancti spiritus ministerio<sup>8)</sup> consecravit. Verum quia omnis potestas a domino Deo est, sub cuius imperio reges regnant et principes dominantur, quique justificationes suas potenti virtute mirificans<sup>9)</sup> quos vult subicere subiecit et quibus vult<sup>6)</sup> victoriam impertitur, decet, quos ipse magnificat, apud<sup>5)</sup> eum<sup>5)</sup> in humilitatis spiritu gloriari et circa dona gratie tamquam desursum credita clementis benignitatis previam habere virtutem, cum sit magna gloria principum uti benigna modestia post triumphum. Ideoque rogamus quatenus concessam tibi victoriam a domino recognoscens illam ad ejus gloriam in<sup>6)</sup> cujus obsequio militas, augmentis felicibus prosequaris, ut proventus ad grandia pervenias ad majora et magnanimitate precellens devote<sup>10)</sup> mentis mansuetudine sublimeris. Nos enim qui<sup>8)</sup> magnificentia regia procedente feliciter nostrum proprie reputamus agi negotium, pro te continuis intercessionibus divinam clementiam exoramus, ut ad laudem sui nominis dies tuos clementer adaugeat et in tuis processibus de bono semper in melius dexteram superne<sup>11)</sup> propitiationis extendat.

1) dimicationem 2. 2) affligere 2. 3) alta 2. 4) digna 1.  
5) fehlt 1. 6) fehlt 2. 7) triumphasti 2. 8) ? mīsterio 1; magisterio 2. 9) mirificas 2. 10) devota 2. 11) sue? 1.

No. 9. Zwischen 7. März und 24. (30.) April 1266. Clemens IV an den Grafen von Viterbo, dass er augenblicklich nicht dorthin kommen könne.<sup>1)</sup>

f. 112' Comiti.<sup>2)</sup> Ut supersedeat mandato facto super camera construenda.<sup>3)</sup>

Nuper divina clemencia erga sanctam matrem ecclesiam et fideles suos<sup>4)</sup> habente plenitudinem potestatis et . . regi sue propiciacionis dexteram porrigente, idem rex contra Manfredum publicum hostem<sup>5)</sup> prope civitatem Beneventi<sup>6)</sup> veniens ad conflictum ipsum, adjutus superno presidio, debellavit in campo totaliter exterminato ejus exercitu, ita quod plurimi, quorum numerus ignoratur quosque eripere fuga non potuit, preter<sup>7)</sup> multitudinem captivorum gladio perierunt, prout hec omnia per ejusdem regis litteras speciales sunt nobis plenius intimata. Unde cum tam ob id quam propter quedam alia verba, que dictus rex nobis secretius intimavit, adventum nostrum Viterbium necessario nos differre conveniat, volumus, quod supersedeatis constructioni camere, donec aliud a nobis super hoc receperitis in mandatis, conditionibus tamen inter nos et vos tractatis et habitis, prout patent publicis documentis,<sup>8)</sup> in sua permanentibus firmitate.

No. 10. 1267. Nachricht über den guten Gesundheitszustand des Kardinal-Kappellan.<sup>9)</sup>

f. 112' Legato.<sup>10)</sup>

Ne de statu cappellani cardinalis quamquam sinistri rumores tibi a maliloquis referantur et ne mendax relatio in suis beneficiis sibi pariat nocumentum, discretioni tue tenore presentium intimamus, quod ipse cappellanus vivit ad presens et moratur Anagnie ac fruitur corporis sospitate, super quo quam plurium testimonio fide digno facta nobis est plenaria certitudo.

No. 11. 1267 Juni 9. Clemens IV belobt den König von Frankreich wegen des Entschlusses, zum zweiten Male das Kreuz zu nehmen und überweist ihm den kirchlichen Zehnten in Frankreich auf drei Jahre.<sup>11)</sup>

f. 52' Subsidiium regi in subsidium terre sancte.<sup>12)</sup>

Quiescere videmus interdum commotiones fluctuum circa

1) cf. oben S. 461. 2) fehlt in 2. 3) bildet eine pars für sich (XXXVII): De supersedendo mandato. 4) fehlt 1. 5) Manfr. principem 1. 6) Beneventanam 2. 7) per 1. 8) instrumentis vel doc. 2. 9) cf. oben S. 462. 10) bildet eine pars für sich (XXXVIII: De testimonio vite). 11) cf. oben S. 466. 12) zu pars IIII gehörig: De subsidiis.



mariam tempestates et dissensionum fluctuationes nonnunquam silere<sup>1)</sup> conspicimus in negotiis terrenorum, illis aeris data temperie, istis animorum concordia restituta. Sed<sup>2)</sup> . . . . Hoc autem . . . rex prudenter advertens divino excitatus spiritu terre prefate negotium, pro quo dudum multis laboribus et erumpnis expositus, multis etiam expensis exhaustus et ad tempus obproprio servitutis affectus, duxit noviter resumendum assumpto vivifice crucis signaculo in ipsius terre subsidium cum primogenito et duobus aliis natis suis ac baronum militum aliorumque multitudine copiosa. Hic est princeps vere catholicus, Deo peramabilis et dignis laudibus extollendus, qui gestans redemptorem suum in cordis visceribus figuratum non parcit pro Christi servitio<sup>3)</sup> sibi nec filiis, pensans quod pater eternus pro nostra redemptione proprio filio non pepercit. Credentes itaque congruum, immo dignissimum arbitantes, ut idem rex in tanta prosecutione negotii apostolicis et nostris presidiis adjuvetur, decimam proventuum et reddituum ecclesiarum regni Francie per triennium sibi duxinus concedendam, ut ipsum negotium potentius et efficacius prosequatur; sperantes quod dextera domini secum faciente virtute tamquam atleta<sup>4)</sup> strenuus et pugil Christi magnificus de barbaris triumphabit. Quocirca preposito vestris ecclesiis pretiosissimo sanguine domini Jesu Christi per aspersionem ipsius vestram in domino caritatem vos<sup>5)</sup> nichilominus rogantes, monentes et intimis affectibus (am Rand affectionibus) exhortantes quatenus preteritorum que laudabiliter et utiliter expendistis<sup>6)</sup> obliti erga dictum regem manus vestras liberaliter extendatis, ad dandam ei huiusmodi decimam iuxta concessionis nostre tenorem promptum et facilem prebeatissimum assensum, ut ex hoc regis eterni gratiam apostolice sedis favorem et Christianissimi principis nostri benevolentiam possitis plenius promereri.

*No. 12. 1267 im Sommer (Juli—Aug.?). Clemens IV beauftragt einen Legaten mit der genauen Untersuchung und strengen Ahndung der Gefangennahme des Patriarchen von Aquileja durch den Grafen von Görz.<sup>7)</sup>*

f. 102' De captione patriarche Aquilegensis.<sup>8)</sup>

Legato . . Replevit amaritudine tabernaculum mentis nostre

1) Hdschr. salere. 2) Das Folgende gleichlautend mit Martène, Thesaurus II, 492. 3) Hdschr. servito. 4) Hdschr. allea. 5) sic! 6) Hdschr. expendistis. 7) cf. oben S. 467. 8) zu pars XXII gehörig: De sceleribus, adulteriis, rebellibus et penis et excessibus.

mestice rumor, qui de casu flebili nuper insonuit, in quo pallida facta est matris ecclesie facies, pallorem nempe turbationis in reatus horribilis consideratione respersa.<sup>1)</sup> Percussam enim sedem Aquilegensem audivimus gravi plaga et castigatione crudeli; hac in ea<sup>1)</sup> latus sedis apostolice sensimus vulneratum, intellecto quod illi maledictionis alumpni, proditiōis nephare<sup>1)</sup> bajuli . . cives<sup>2)</sup> suique complices in Christum domini pugilem crucifixi et tam nobile Romane membrum ecclesie, videlicet . . patriarcham, in quem maxime sub federe pacis cum eis invicem reformatæ talis nequitie suspitio non cadebat, manus sacrilegas extendentes, ipsum in noctis silentio non sunt veriti capere ac in contemptum divini nominis nudatum indumentis et rebus aliis presumpserunt miserabiliter educere captivatum et adhuc presumunt Dei timore postposito detinere captivum. Hic profecto dolor supra mensuram doloris extenditur et eo fit in visceris<sup>1)</sup> nostris acerbior, quo suarum virtutum gratiam suorumque grandium et laudabilium multitudinem meritorum promptiori nobis memoria representat. Que dum appendis<sup>3)</sup> in libra justitiæ ac colligimus quid in conspectu Dei et hominum meruerunt, eventum ejus obnoxius deploramus. Comunem namque non possumus dissimulare jacturam aut merorem subprimere, ubi gemunt clerus et populus et etiam nobilitas anxietur. Ipse quidem ab annis teneris quasi laboriosis exercitiis per eandem ecclesiam deditus sub laborum mole non tepuit et sub bellicis sudoribus virili magnanimitate consurgens exaltationem ecclesie ac prosperum statum pacemque fidelium non solum in minori officio sed etiam in gradu patriarchalis eminentie constitutus studuit probitate strenua promovere nec in hiis persone sue pericula formidavit. Dolemus quidem dum illatum in ipso ecclesie Romane dispendium et injuriam intuemur et per debite compassionis affectum Aquilegensi ecclesie, sui cleri, baronum quoque nobilium et alterius populi deploramus angustias, quorum merito spiritus in afflictione tanti pastoris turbationis et tristitie vehementia colliduntur. Unde cum desideremus ab intimis, ut in hiis apponatur ab alto consilium, per quod nos et ipsi a pressura tanti gravaminis releveremur, intendentes ad hoc sollerter adicere manum apostolice potestatis, ad te quem novimus honoris ecclesie gelatorem,

1) sic! 2) wohl ein Irrthum statt comes, cf. weiter unten.  
3) statt appendimus?

quem promittit hujus casus adversitas et quem conspicimus ad eundem patriarcham tibi peramabilem interne gerere compassionis affectum, direximus nostre considerationis intuitum, sperantes indubitanter ut per tuas sollicitudines et labores possit eo sollercius ipsius liberatio provenire, quo libentius et ferventius tamquam tuum interesse promovens<sup>1)</sup> presens negotium prosequaris. Ideoque mandamus quatenus sine dilatione qualibet ad partes illas te personaliter conferens et omnia vigili studio preparans que ad hec extiterint oportuna, predictum comitem et complices per te vel per alium ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut eundem patriarcham restitutis sibi et suis equis, rebus et ceteris bonis ablatis in capcione predicta libere sine mora et difficultate qualibet restituant pristina libertati; alioquin omnibus feudis advocatis honoribus et juribus, que ab Aquilegensi et aliis quibusve ecclesiis vel in eis quomodolibet obtinere noscuntur, perpetuo auctoritate nostra privare procures per illos ad quos horum collatio pertinet, postquam super hoc speciale mandatum ab ea sede receperint personis de quibus expedire viderint conferenda. Ipsos quoque tamquam sacrilegos denuntians seu denunciari faciens tam in ecclesiis patriarchatus Aquilegensis quam in aliis, ubi expedire videris, singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis sententia excommunicationis astrictos et terras eorum ac alias, ad quas pervenerint, quamdiu in illis moram traxerint ecclesiastico subjacens interdicto generaliter et specialiter, prout fuerit expediens, in omnibus omnes et singulos, qui sacrilegos eosdem vel aliquem ipsorum receptaverint vel eis dederint per se vel per alium consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis ferre sententiam non omittas, terras eorum interdicta simili subjecturus. Statuas insuper, quod si prefatum patriarcham sic detentum ab eisdem sacrilegis decedere forte contingerit, nullus de ipsorum sacrilegorum genere usque ad quartam generationem prebendas canonicatus personatus dignitates aut alia ecclesiastica beneficia valeant obtinere, et quolibet provisio, quam de talibus ei fieri contigerit, nullius valoris existat, et nullam prorsus hanc firmitatem.<sup>2)</sup> Conflatis autem nichilominus viribus Christi fidelium generale studeas exercitum congregare, contra eos tamquam publicos hostes ecclesie, viriliter et intrepide processurus, ita quod ex operosa tua sollicitudine felix

---

1) Hdschr. promoveas. 2) sic!

succedat quem desideramus effectus<sup>1)</sup>, et exinde tibi apud Deum laudis gratie proveniat incrementum. Nos enim sententias sive penas quas propter hoc tuleris in rebelles etc.

*No. 13. 1267 Sommer. Clemens IV an Dekan und Kapitel von Aquileja über die Gefangennahme des Patriarchen.<sup>2)</sup>*

Super codem.

Decano et capitulo Aquilegensi. Replevit etc. usque colliduntur (cf. S. 519). Verumtamen non<sup>3)</sup> est virorum fortium corda submittere adversitatis impetus.<sup>4)</sup> Sed potius decebat<sup>5)</sup> assumi spiritum fortitudinis in adversis, in quibus virtus perspicitur, si resistat et vigoris augmentum de fructibus tribulationum assumat. Dulcescit quidem afflictio, cum resistentie virtuose munimina contra pressuram gravaminum opponuntur. Ideoque rogamus mandantes quatenus tamquam viri magnanimi virtute constantie roborati viriliter persistentes non deprimatis animos nec aliquo terrore flectatis. Non<sup>6)</sup> est enim abbreviata manus domini nec lentescet, quando<sup>7)</sup> cadentem relevet post ruinam et misericordiam exhibeat post flagellum. Circa quoque<sup>7)</sup> terre custodiam oportuna sollicitudine<sup>4)</sup> vigilantes, animetis illos qui sunt ad arcium et castrorum vestrorum Aquilegensis ecclesie regimen deputati, ut nullatenus contremescant, sed vigilantius et audatius solito loca sibi commissa custodiant et conservent, ita quod, quanto ejus dicte ecclesie onera, que rebus sic se habentibus nobis principaliter dinoscuntur incumbere, gesseritis utilius et duxeritis promptius supportanda, tanto magis apud Deum et sedem apostolicam vestra commendari devotio et potioribus attolli premiis mereatur; et<sup>8)</sup> in intimis desideriis gerimus ut circa premissa congruum auctore domino consilium apponatur, . . . legatum ad partes illas cum auctoritatis nostre munimine duximus destinandum, per cujus ministerium, sicut speramus, divina favente clementia succedet ex premissis effectus, quem desiderabiliter expectamus. Providentia namque sedis apostolice illi quem dilexit in prosperis numquam deficiet in adversis.

---

1) Hdschr. affectus. 2) cf. oben S. 468. 3) fehlt in der Hdschr. 4) sic! 5) Hdschr. dicebat. 6) Hdschr. Nos. 7) undeutlich. 8) fehlt quia?

No. 14. Clemens IV gewährt den Leuten von Monte-Porzio Befreiung von einer lästigen Abgabe.<sup>1)</sup>

f. 114' Confirmatio castri Portiani.<sup>2)</sup>

Hominibus<sup>3)</sup> castri.<sup>3)</sup> Justis petencium etc. usque complere. Sane sicut in registro felicis recordationis predecessoris nostri<sup>3a)</sup> contineri perspeximus, vos ei dudum significare curastis, quod ejusdam consuetudinis prave pretexto, que in castro Porciani invaluerat, quando comunitas vel quevis alia specialis persona castri ejusdem a quoquam<sup>4)</sup> criminaliter vel civiliter conveniebatur,<sup>5)</sup> ibidem<sup>6)</sup> dominus vel baiulus loci jam dicti eum qui trahebatur<sup>7)</sup> in cameram de parendo mandatis cur(ie) ipsius loci, dare fidejussoriam cautionem cogebat,<sup>8)</sup> priusquam ipsum condempnari vel absolvi contingeret, super certa pecunie quantitate; et actore nichil contra eum probante, idem, quamvis in judicio absolutus, si criminaliter actum fuerat, quartam partem ipsius pecunie, si vero civiliter, quartam partem rerum petitarum vel extimationem ipsarum compellebatur<sup>9)</sup> liberature<sup>10)</sup> nomine curie nichilominus exhibere. Ipse vero predecessor, intendens hujusmodi consuetudinem tamquam juri contrariam<sup>11)</sup> obviare, cardinali tunc notario suo ac rectori Campanie et Maritime sui sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut super hoc auctoritate apostolica per se vel per alium statueret quod videret suadente justitia expedire;<sup>12)</sup> ac faceret nichilominus quod statutum esset in hac parte per ipsum firmiter observari contra etc. Cum igitur bone memorie . . episcopus, cui prefatus rector in totum super hoc, sicut ex vestra nuper informatione accepimus,<sup>13)</sup> subdelegaverat vices suas, cognito<sup>14)</sup> diligenter de hujusmodi consuetudine, que dicenda erat pocius corruptela et alias liberatura<sup>15)</sup> vulgariter dicebatur, habitoque<sup>16)</sup> prudenter consilio ipsius predecessoris auctoritate mandati super premissis rectori predicto directi duxerit statuendum . . balivio et sindico dicti<sup>17)</sup> castri presentibus, quod prelibata consuetudo tamquam iniqua prava et omni equitati<sup>18)</sup> contraria in dicto castro nequaquam reservetur,<sup>19)</sup> ne<sup>20)</sup> occasione ipsius a quo-

1) Cf. oben S. 470. 2) zu pars xlvii gehörig: De compositionibus. 3) fehlt 2. 3a) ipsius et Alex. predecessorum nostrorum 2. 4) quocunque 2. 5) conveniebant 2. 6) ut ibid. 2. 7) trahebant 2. 8) cogeatur 1. 9) compellebantur 2. 10) litterature 2. 11) tamquam contrarie 2. 12) expediret 2. 13) recepimus 1. 14) cognitione 1. 15) litteratura 1. 16) habito 2. 17) predicti 2. 18) equitate 2. 19) servatur 2. 20) nec 2.

quam<sup>1)</sup> reo aliquid exigatur, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri ac predecessor ipse, quod super hoc ab eodem episcopo factum et statutum extitit, provide duxerit confirmandum: nos vestris supplicationibus inclinati ad instar ipsius ac pie memorie Alexandri predecessorum nostrorum hoc<sup>2)</sup> idem<sup>2)</sup> auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli etc.

### Beilage V. Aus Formelbuch No. 8.<sup>3)</sup>

#### No. 1. (*Exordium.*)

Rudolfus etc. Regalis dignitas, a supremo et precipuo conditore videlicet omnium suam recipiens dignitatem, nullius justius quam illius fulcitur robore, cujus potentia et virtute omnia subsistere dinoscuntur; nec est fas dicere aut mente concipere, quod impensum eidem cujuscunque devocionis ac devote fidelitatis servitium in personis ecclesiasticis seu ipsorum locis divino cultui deputatis aliquatenus vacuum revertatur, quin potius et presentis felicitatis effectum inpetret et future.

#### No. 2. *Exordia pro privilegio comuni.*

Sedens in solio primus et novissimus, qui auster spiritum,<sup>4)</sup> principium infinite potentie, Dei filius, regnorum omnium dispositor mirabilis, illis qui ejusdem recognoscunt potentiam et sue se submittunt majestatis gratie, bona que possunt et eorum videlicet valet possibilitas exercendo, se prebet, ut credimus, graciorem ipsorumque vota preveniens, honorum ac potestatum eorundem amplificat dignitatem cum monitionibus,<sup>5)</sup> in quibus caritatis opus impenditur, fructum et meritum sic certissimum reparare in personis religiosis locisque deo dicatis. Favor regius ipsiusque largitatis dona competencia et optata manifestissimam omnipotentis Dei implorant gratiam et concessam desuper potestatem inpetrant roborari. Quod attendens<sup>6)</sup> nostra serenitas etc.

#### No. 3. *Privileg zu Gunsten eines unehelich Geborenen.*<sup>7)</sup>

Rudolfus Dei gratia etc. Ex parte talis nostre majestati fuit humiliter supplicatum quod, cum ipse de soluto et soluta

1) quocunque 2. 2) fehlt 2. 3) cf. oben S. 474. 4) Herr Dr. Weyman schlägt 'auctor sp.' vor nach Hebr. 12, 9. 5) unsicher. 6) Hdschr. attendes. 7) cf. oben S. 476.

illegitime genitus defectum natalium pateretur, nos defectum hujusmodi supplere dignaremur plenitudine regie majestatis. Nos igitur attendentes, quante sit pietatis et clemencie justis petentium votis in hiis que ad solam majestatem regiam pertinent,<sup>1)</sup> pie compassionis misericordia regis animam inclinari atque imperfectam<sup>2)</sup> sive defectam sui juris penuriam largiffue pietatis gratia atque dispensativa juris indulgentia reducere ad perfectam, cum predilecto<sup>3)</sup> tum super defecto natalium, ut est dictum, auctoritate regis tenore presentis decreti misericorditer dispensamus, admittentes ipsum ad omnes actus legitimos et ad ea que de thoro<sup>4)</sup> legitimo competunt facienda et ut hereditariam paternorum bonorum percipere valeat porcionem, defectu natalium non obstante, sed nostre majestatis indulgentia et dispensacionis regie clementi gratia sibi salubrius suffragante. In cujus rei etc.

*No. 4. Privileg für Errichtung eines Wochenmarktes in einer Stadt.<sup>5)</sup>*

Rudolfus etc. Dignum judicat nostra serenitas<sup>6)</sup> . . . . celebrandum.<sup>7)</sup> Nos humilibus sue fidelitatis precibus inclinati, de plenitudine<sup>8)</sup> potestatis regie et gratia speciali concedimus, quod in predicto opido forum septimanale pro comuni utilitate omnium adveniencium atque idem forum celebrancium habeatur cunctosque ad idem forum venientes<sup>9)</sup> eundo stando et redeundo protectionis regie speciali gratia gaudere volentes nullorumque malorum in persona seu rebus violentis ac iniquis incursibus perturbari. Nulli ergo etc.

*No. 5. (Exordium.)*

Cum personis locisque Deo dicatis quid honoris et gratie inpenditur, et presentis vite solatia et future beatitudinis premia inpendenti apud largitorem supremum bonorum omnium datorem optimum habundancius ac facilius impetrantur. Quod attendens etc.

*No. 6. (Exordium.)*

Quis sane mentis dubitet quin inpena religionis personis et locis beneficencie gratia terrene dignitatis augmentat gloriam

1) Hdschr. pertinet. 2) Hdschr. imperfectum. 3) wohl nicht richtig. 4) Hdschr. choro. 5) cf. oben S. 475. 6) Das Folgende weggeschnitten. 7) Hier beginnt Col. b. 8) Hdschr. peni<sup>no</sup>. 9) Hdschr. venentes.

et supreme retributionis premia apud illum, cujus licet sint omnia, sicut testatur psalmista<sup>1)</sup> dicens: Mee sunt omnes bestie silve etc., a sua tamen factura diligit honorari juxta illud sacrificium laudis: Honorificabit me etc. Id adtendens nostra etc.

No. 7. (*Exordium.*)

Stabilitur terreni regni dignitas et honoris incrementa recipit amplioris, si susceptae dignitatis gloria devote mentis interne studio<sup>2)</sup> et bone operationis exercitiis<sup>3)</sup> illius attribuat gratie et beneficentie speciali, per quem reges regnant et in cujus manibus sunt omnes fines terre. Id attendentes etc.

No. 8. (*Exordium.*)

Cum nullius boni operatio operantem spe remunerationis destituat, inmo pro inpensis singulis quibusque karitatis operibus centuplum ewangelica veritas repromittat. Id attendens etc.

No. 9. (*Exordium.*)

Imensus<sup>4)</sup> et incomprehensibilis Dei filius, rex regum et dominus dominantium, omnium que ab ipso sunt creator mirabilis, regnorum omnium ordinator et dispensator amirabilis, devotorum devota servitia suis servitoribus devote ac fideliter inpensa immense sue benignitatis oculis aspiciens, ampliorem ac in immensam excrescentem rependit gratiam hiis qui de concessis sibi desuper beneficiis ac honorum dignitatibus ipsum largitorem honorum omnium in rependendis quibus possunt gratiis et gratiarum actionibus recognoscunt. Hinc est etc.

No. 9a. (*Exordium.*) (*Fragment.*)<sup>5)</sup>

. . . . . desinentis defensionis ampliat ampliando.<sup>6)</sup> Hinc est et cetera.

No. 10. (*Exordium.*)

Diva atque in perpetuum pie recordationis imperatorum ac<sup>7)</sup> regum predecessorum nostrorum mansura memoria, ut ad instar eorundem locis personisque Deo dicatis indesinens<sup>7)</sup> atque indefessum debeamus prebere consilium, majestatis nostre

---

1) Hdschr. psalmista. 2) Hdschr. studia. 3) in der Hdschr. corr. 4) Hdschr. imensis. 5) Hier beginnt Col. c. 6) sic! 7) undeutlich.



viribus si necesse fuerit subrogatis, exemplorum atque signorum evidencium vestigia nobis prebet, quibus nos dignum ducentes inherere omnibusque nostrorum antecessorum exemplaribus in virtute<sup>1)</sup> et bonorum operum effectibus conformare.

*No. 11. Rudolf theilt den Getreuen im Reiche mit, dass ihm der Papst die Kaiserkrone angeboten habe und er bereit sei, sie zu holen.<sup>2)</sup>*

Rex regum, omnis boni dator affluentissimus, sicut nostram humilitatem ultra id quod vite nostre merebamur meritum curavit extollere, ita facti nostri progressum felicissimis auspicio-  
rum<sup>3)</sup> gubernans successibus, exaltacionis nostre primordia mirabiliter instauravit, instaurata mirabilius peroptati finis et medii conclusiones optimas consumavit. Denique memoratus rex regum, omnis creature formator ac eorum que in terris aguntur mirus et magnificus ordinator, nichil eorum que ad nostram exaltacionem, immo verius reformationem iam dudum deplorate pacis faciunt pretermittens, sanctissimum patrem nostrum papam eo<sup>4)</sup> sanctitatis spiritu inbuere est dignatus eundem, quod Dei et hominum mediatorem absque ullo medio seu promisso tam propici-  
cium nobis reddidit et effecit, quod idem in regno Romanorum patentes litteras nobis misit, vocatis nichilominus nobis in eisdem litteris ad suscipiendum de sue sanctitatis manibus gloriosum imperii dyadema. Hec igitur vocive jocunditatis gaudia non indigne illis qui sicut membra corpori, sic illi sacro imperio indissolubilis fidei et amoris vinculis connectuntur<sup>5)</sup> . . . Cum itaque tales vos predios<sup>6)</sup> antecessorum nostrorum pie recordationis imperatorum et regum memoria, quibus tunc sicut nobis nunc fidelissimis serviciorum obsequiis adhesitis, immense benignitatis gratiam nobis a primevo<sup>7)</sup> creacionis nostre tempore usque nunc inpensam pro speciali gaudio vobis presentibus intimamus. Exurgat igitur et in vocem exaltacionis singulorum vestrum imperii fidelium prorumpat vox et animus. Nam ut de omnipotentis Dei immensa bonitatis confidimus, propulsatis bellorum atque omnium adversitatum ecclesiam Dei opprimantium tumultibus, fugata atque religata etate ferrea

---

1) dann ausgestrichen, wie es scheint, facte obedientie. 2) cf. oben S. 477. 3) Hdschr. scheint zu haben auspiciurum, am Rand von anderer Hand ebenfalls etwas Undeutliches beige-  
setzt. 4) undeutlich. 5) Hier fehlt etwas. 6) ? Die ganze Stelle ist verderbt. 7) Hdschr. primo.

etas aurea reviviscet nec sit<sup>1)</sup> . . . qualitate et immense domine . . .<sup>2)</sup> titate quidquid circa nostram exaltacionem et Romani imperii reformationem noscitur esse factum, non humani sed divini potius operis sit dicendum. Felix igitur nostra in Romano imperio et Romani imperii dudum fluctuantis in nobis progressio et ad desideratum salutifere pacis partum<sup>3)</sup> traductio<sup>3)</sup> omnibus hiis, qui salutem terre et profectum singularem ac generalem diligunt, jocunditatis et exultacionis materiam prebeat et eosdem ad congaudendum nobis et ipsis hilaritate vultuum, exultacionem vocum atque exultationem mencium faciat jocunditates.<sup>4)</sup> Confirmatos namque in regno Romano a sanctissimo patre nostro vocatos nos sciat<sup>4)</sup> veraciter ad recipiendum de sue sanctitatis manibus gloriosum imperii dyadema.

*No. 12. Privileg für eine Kirche.*

Imensus et incomprehensibilis, sublimis et in summo majestatis solio residens Dei filius, a quo omnis potestas in celo et in terra nominatur, tanto dignius interne cognicionis mente ab hiis agnoscitur et previsor<sup>5)</sup> amirabilis atque supra modum admirabilis justissime reputatur, circa quorum exaltacionem divina in tantum intenderit<sup>3)</sup> bonitas, ut ipsorum votis ultra quam eorum meruerit humilitas se accomodet et inclinet. Id non indigne attendebant inclite recordationis dive memorie imperatores et reges antecessores nostri, fama virtute re et nomine preclari, qui ecclesias suis construxerunt operibus, constructas confovebant habundantius, personis ecclesiasticis Deo famulantibus prediorum possessiones largissime largissima tribuendo, tradita et tributa mani(festa)<sup>6)</sup> libertate jure et quiete magne ac pacifice conservando. Horum nos exempla quantum is annuerit, qui dat omnibus affluenter, sequi in via largitatis elementie ac mansuetudinis<sup>3)</sup> cupientes, ecclesiam talem a divis imperatoribus et regibus inclite recordacionis nostris antecessoribus multis dotatam libertatibus et honorum titulis insingnitam amplexantes quem ad modum<sup>3)</sup> nostri antecessores ulnia<sup>4)</sup> gratie et beneficentie specialis<sup>7)</sup> ipsam in nostram et sacri imperii tuicionem et protectionem recipimus specialem cum personis et rebus omnibus attinentibus ecclesie supradicte, confirmantes insuper omnia

1) Das Folgende weggeschnitten. 2) Der Rest der Zeile weggeschnitten. 3) unsicher. 4) sic! 5) Am Rand von anderer Hand: ac provisor. 6) Hdschr. blos maī am Ende der Zeile. 7) Hdschr. speciali.

jura, libertates et gracias quas a divis imperatoribus et regibus usque ad tempora magne recordationis Friderici imperatoris nostri antecessoris ultimi dicta ecclesia habuit ab antiquo; mandantes nichilominus regio hoc edicto, ne quis imperii nostri fidelium dictam ecclesiam et personas Deo famulantes ibidem presumat aliquid molestare, jura vel libertates concessas quomodolibet violare. Nulli ergo omnino hominum liceat de . .

#### Bellage VI. Aus Formelbuch No. 10.

*No. 1. Zwischen 1252 und 1253. Markgraf Heinrich von Meissen dankt seinem Schwager Ottokar für die Schenkung des Hofes Wiesenfeld an seinen (Stief)bruder Hermann von Henneberg.<sup>1)</sup>*

Dilecto sororio suo, illustri principi O., duci Austrie, Styrie et marchioni Moravie, H. Dei gracia Misnensis et Orientalis marchio, Thur(ingie) langravius, Saxonie comes palatinus, sincere dilectionis plenitudinem cum obsequio semper prompto.

Super eo quod circa fratrem nostrum dilectum comitem Hermanum de Honbek<sup>2)</sup> in donacione curie Vuizevelt preces nostras efficaciter admisistis, gratiarum multimodas vobis referimus actiones. Et quia idem frater noster per nuncium suum et litteras super eadem curia conscriptum et aurea bulla sigillatum a dilecta sorore nostra M., ducissa Austrie, conjugis vestra, transmitti sibi petit, rogamus affectuose, ut nostri obsequii respectu ipsum in hoc promovere dignemini cum effectu et litteras, quas a vobis nunc nuncius suus, lator presencium, ex parte sui sigillandas postulat, sigillare, quod apud nos nostris obsequiis perpetuo volumus promereri. Datum.

*No. 2. Zwischen Ende 1260 und Juni 1262. Woko von Rosenberch, Statthalter von Steiermark, gibt König Ottokar Nachricht von der augenblicklichen Lage im Lande.<sup>3)</sup>*

Illustri domino suo O., domino regni Boemie, duci Austrie et Styrie, marchioni Moravie, W. de Rosinberch, capitaneus Styrie, servitium tam debitum quam fidele cum animi puritate.

Noverit excellencia vestra quod, cum essem in procinctu me transferendi in Enstal ad novum castrum, eodem die venit mihi legacio, quod Chunradus de Treun<sup>4)</sup> fuerit captivatus, et ego statim eadem die cum magna festinacione, licet mihi fuerit

1) cf. oben S. 482. 2) sic! 3) cf. oben S. 487. 4) undeutlich.

magna debilitas oculorum, veni ad castrum ipsius Ch. et ea vestre obtinui potestati, a quibus amplius Deo adjuvante nullum impedimentum habebitis terris vestris. Meideburch enim comisi cuidam fideli, aliud castrum Treen reddidi cuidam dicto Chraftono,<sup>1)</sup> quia ad hoc justiciam hic habebat; et idem Chraft<sup>1)</sup> certificavit mihi stabilitatem suam, quod nunquam violabit fidem suam, omnibus bonis suis. Uxor autem Ch. de Treun commorabitur in Pabenstain<sup>2)</sup> et nunquam a vestra gratia divertetur et propter habundantem cautelam filium ipsius in obsidem iam recepi. Predictus autem Ch. in Vng(aria) est deductus, sed si sententia in eum sit data, penitus hoc ignoro. Preterea Staderkerius et Pettowerius mihi pro vero retulerunt quod dominus Ul(ricus) de Lihtenstein et Herandus de Wildonia locuntur quasi in publico, dicentes quod, si castrum vestrum Wildon(ie) a vobis alienabitur per mandata ducis Austrie, vellent facere quod deberent, et vellent in publico recitare quod cum castris ipsorum secundum justiciam agere nihil penitus haberetis nec de castris ipsorum quicquam judicare; et quod hoc ab ipsis audiverint, Staderkerius et Pettowerius coram vobis, si necesse fuerit, volunt esse publici assertores; et omnia mihi dignemini remandare in Leuben ad placitum generale, quia nobiles terre venient omnes ibi. Percepi etiam quod comes de Gorz colligat exercitum et volt invadere ducem Karinthie, et comes de Wartenberch vadit secum; cui si me rogaverit, utrum duci Karinthie debeam auxilium prebere aut non, vestra gratia hoc remandet. Rogo etiam vestram gratiam et consulo, ut domino R. de Stadek et Pettowerio et domino G. de Marpurch cuilibet speciales litteras transmittere dignemini, regratiantes ipsis diligenter, quod mihi fideliter assistunt consilio, auxilio et favore; et per hoc inducetis ipsos quod ipsi fideles et stabiles in omnibus vobis erunt.

*No. 3. Zwischen 1260 und 1262. (?) Klagen eines österreichischen Edlen (aus dem Geschlechte der „Waisen“) an Ottokar (?) über erlittene Unbilden.<sup>3)</sup>*

Dilecto domino suo, illustri duci Austrie et<sup>4)</sup> . . . comiti sincere fidei constanciam cum promptissimo famulatu.

Video et cognosco quod compaciamini molestiis miserorum, et quia ego vester sum Orphanus, consequens est, ut mea de-

1) undeutlich. 2) wohl zu lesen Rabenstein. 3) cf. oben S. 491.  
4) Das folgende Wort scheint deutlich Salz. zu sein, was ja nicht

beatis gravamina egre ferre, et quod priori tempore quedam vobis sinistra de me et de novo iterum sunt relata, rogo vestram dominationem quatenus credere non curetis, quia meam personam coram vestra gratia de omnibus hiis valeo expurgare, et mihi fidem et consilium vestre gratie impendatis quomodo in expensis durare debeam, si homines mei quos mihi dedistis non debeant subvenire, cum preter Deum nullum nisi vos habeam et habere cogitem sublevatorem sublevantem; nunquam enim <sup>1)</sup> petivi pro officio domini Ortholfi castellani in Heidenrichstein et domini Chunradi castellani vestri in Lishawe, licet ea castra cum atinenciis mihi simpliciter <sup>1)</sup> tradidistis. Insuper homines domini Wochonis meos homines ante castrum meum vulneribus affecerunt et homines in Lishawe, quos mihi dedistis, duos servientes meos satis nobiles ceciderunt, de quibus omnibus nulla satisfactio est mihi exhibita aliquando; <sup>1)</sup> et quod de vestra tam diu curia fui absens, paupertas mea est in causa, <sup>1)</sup> quia absentia mea nullum commodum mihi parit; unde vestram gratiam suppliciter interpello, ut dignemini cogitare vel recordari quare <sup>1)</sup> de Ungaria venerim, me vestre fidei committendo, et vestram adhuc exspecto gratiam nec doleo.

*No. 4. Zwischen 1260 und 1264. Der Butiglarius H(enricus) de Lapide versichert König Ottokar seiner Treue.<sup>2)</sup>*

Inclito eorum domino . . domino regni Boem(ie), illustri duci Austrie marchionique Morawie, H. de Lapide, butiglarius in Nurenberch, nec non B. et H. filii ejusdem devotissimam ac firmissimam ad omnia genera obsequiorum voluntatem.

Sicut regia majestas vestra nobis demandare curavit, quod per literas nostras certificari velletis, si adversus dominos nostros H. et L. illustres duces Bawarie nostre parvitatibus servitium vestre magnificentie indissolubiliter exhibere vellemus, sic scire vestram cupimus dominationem, quod non solum adversus illos de quibus mencionem habuistis dominos illustres videlicet . . .<sup>3)</sup>

*No. 5. 1262, Januar 28. König Ottokar gewährt der Gattin eines gewissen Chraft zollfreie Reise nach und von Troppau.<sup>4)</sup>*

P(remysl) Dei gratia rex Boemie, Austrie et Styrie dux

richtig sein kann, sondern wohl statt „Styrie“ verschrieben ist. Auch im Folgenden ist Manches zweifelhaft.

1) undeutlich. 2) cf. oben S. 494. 3) das Weitere fehlt. 4) cf. oben S. 481.

et marchio Morawie, universis iudicibus theloneariis et mutuariis per Boemiam Austriam et Moraviam gratiam suam etc.

Propter plurima et magna obsequia, que nobis Chrafto jam exhibuit indefesse et exhibet incessanter, hanc ipsi fecimus gratiam ista vice quod uxor sua, que pro suis agendis in Opaviam procedit, tam in suo redditu de Opavia quam processu libere transire debeat sine exactione aliqua sive muta; omnibus vobis sub nostre gratie optentu injungentes, ne quis vestrum ab ipsa et sua familia ista vice aliquid expetat premissorum.

Dat. Prage anno domini MCCLXII V kal. Febr.

*No. 6. König Ottokar (?) fordert einen Edlen von Mähren auf, mit seiner Heerschaar sich bereit zu halten, um zur Unterstützung des Königs von Ungarn aufzubrechen.<sup>1)</sup>*

Domino regi Ungar(ie), karissimo patri nostro, adesse in ipsius necessitatibus volentes, cum comunia nobis ejus reputemus prospera et adversa, fidelitati vestre mandamus firmiter districte precipientes nostre gratie sub obtentu, quatenus cum toto posse vestro ad armorum et hominum expedicionem vos paratos habeatis statim procedentes, cum vos una cum aliis fidelibus nostris Moraw(ie) ex parte dicti regis fueritis requisiti sibi<sup>2)</sup> in auxilium et succursum; in quo quanta sit vestre fidelitatis promptitudo laudabilis, volumus experiri, parati juxta merita vestra vobis cum gratiarum actionibus rendere.

*No. 7. Nach 1264. König Ottokar (?) fordert den Propst von Melnik auf, seinem Protonotar P. zu einem Archidiakonats in Prag zu verhelfen.<sup>3)</sup>*

Rex preposito Melnicensi salutem cum affectu sincero. Sciens quod ejusdem et unius corporis membrum de bono et comodo mutuo gratuletur, super promociione magistri P. dilecti nostri protonotarii, cum sitis ambo de corpore nostre familie predilecte, tuam dilectionem non inmerito requirimus rogantes ex affectu sincero, quatenus ipsi pro obtinendo archid(iaconatu) Pragensi velis adesse et prodesse auxilio consilio et favore, ita ut proinde una nobiscum teneatur<sup>2)</sup> tibi ad gratiarum multimodas actiones. Sciens vero quod favor virtutis<sup>2)</sup> et amicie nostre familie super omnia nobis placens nos animat mirabiliter, ad promociionem et honorem ipsius jugiter aspiremus et sciimus quid et quantum in premissis pro nobis feceris operis per effec-

1) cf. oben S. 485. 2) undeutlich. 3) cf. oben S. 485—86.

tum, equam<sup>1)</sup>) . . . non ferimus quod romandantes nobis quid in istis vestre sedeat voluntati vigilanter inspicias.

*No. 8. Archidiacon Petrus von Prag legt gegen die Ansprüche des Bischofs Johann von Prag auf das Archidiaconat in Hoschowitz Protest ein.<sup>2)</sup>*

(Roma patria legum fons sacerdocii sacratissimus legislator Justinianus.)<sup>3)</sup>

Ego Petrus, archidiaconus Pragensis, attendens quod in rescriptis facienda sit interpretacio larga, in testamentis largior, in beneficiis principum seu privilegiis largissima, cum ex indulgentia sedis apostolice sim gratiam consecutus super pluralitate beneficiorum, licet curam habeant animarum annexam, timens quod ven. pater J(hannes) Pragensis episcopus archidiaconatu Hossoviensi de facto, cum de jure non possit, me intendat contra indulti vigorem et seriem, robur ac tenorem indebite spoliare, ne quid in meum prejudicium attemptare valeat, quo sedis apostolice privilegio derogetur, res et personam nec non et statum beneficiorum meorum que canonice sum adeptus, summi pontificis protectioni subiciens, ejusdem sedis audientiam presentibus literis appello, petens apostolos cum instancia, et hoc notum esse cupio Christi fidelibus universis.

Actum Prage in ambitu majoris ecclesie vel in ipsa ecclesia II kal. Aprilis.

*No. 9. Bischof Johann von Prag verwendet sich bei seiner Geistlichkeit für einen Predigermönch P. aus Prag, der ihre Interessen in Rom gut und uneigennützig vertreten habe.<sup>4)</sup>*

Johannes Dei gratia Pragensis episcopus dilectis in Christo filiis, plebanis et eorum vicariis nostre civitatis et dyocesis universis, salutem in domino cum paterne<sup>5)</sup> caritatis affectu. Eos munificencie gratuite honoribus convenit<sup>5)</sup> frequentare, quos propria recomendant merita et bonitatis perspicue<sup>5)</sup> habundancia reddit caros, utiles et acceptos. Sane vir eximie pietatis culmine adornatus frater P., lector predicatorum Pragensis, cum esset in Romana curia constitutus et in conspectu summi pontificis gratiam invenisset, sine aliqua precum instancia quedam negocia toti clero regni Boem(ie) non modicum oportuna

1) Das folgende Wort, wie auch die vorhergehende Stelle undeutlich. 2) cf. oben S. 486. 3) Ob diese Worte zu dem folgenden Aktenstück oder zum Vorausgehenden gehören, ist unklar. 4) cf. oben S. 484. 5) undeutlich.

propriis expensis et laboribus liberaliter procuravit, nos et vos dicto pontifici et dominis cardinalibus plurimum recommendans. Et quia tante bonitatis utilitas non debet irremunerata relinqui, sicut in quadam synodo <sup>1)</sup> . . . et nunc universitatem vestram rogamus presentibus et hortamur et in virtute obedientie vobis quantum possumus injungentes, quatenus eundem P., quem admodum in predicta synodo promisistis, congruis muneribus honoretis; et qui plus non poterit vel dare noluerit deiecta <sup>2)</sup> mente <sup>3)</sup> ad inhonestatis radicem, duos denarios ad minus nomine hujus fratris archid(iacono) suo per decanum provincie assignare deproperet, ut ipse frater, qui semper omni petenti se totis viribus benivolum exhibet et paratum, in exercicio eodem, <sup>3)</sup> que vestrum respiciunt commodum et honorem, non tepescens aliquatenus perseveret. Si enim quod absit promissum vestrum suum non nancisceretur effectum, auferretur cuilibet audacia vobis in vestris negotiis serviendi et, ne id ipsum eveniat propter alicujus avariciam et torporem, quemlibet vestrum, qui non fecerit quod promisit, ab ingressu ecclesie suspendimus et divinis; decet namque ut ea que promittuntur opere compleantur; dignus etiam operarius mercede sua. Datum etc.

*No. 10. Desselben Inhaltes wie No. 9. <sup>4)</sup>*

Johannes etc. honorabilibus viris talibus archydiaconis etc. In virtute obedientie vobis districte precipiendo mandamus quatenus P. lectorem, fratrem predicatorum Pragensem, qui in Romana curia constitutus comunia tocius cleri regni Boem(ici), sicut scitis, utiliter procuravit negocia, vestris muneribus, sicut vobis etiam alias mandavimus, honorantes a quolibet subditorum vestrorum nomine dicti fratris ad minus duos denarios exigi faciatis et eos receptos ab eisdem eidem fratri fideliter et integraliter assignetis, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam puniendo. Alioquin si per vos negocium illud honorabile et utile fuerit neglectum in aliquo aut plus debito retardatum, defectum eius supplere de vestris cameris vos cogemus.

*No. 11. (Zwischen 1294 und 1302?) Der Propst der Teynkirche R(apota) an einen Plebanus H., dass derselbe einen Genannten sich in Prag zu stellen veranlasse.<sup>5)</sup>*

Magister R., miseracione divina Tynensis prepositus, iudex

---

1) Das folgende Wort undeutlich. 2) undeutlich. 3) statt eorumdem? 4) cf. S. 484. 5) cf. oben S. 495.



a venerabili in Christo patre, domino Joh. Pragensi episcopo delegatus, honesto viro H. plebano de . . salutem in domino.

Mandamus tibi auctoritate domini nostri episcopi sancte obediencie sub virtute et pena suspensionis officii tui districte injungentes, quatenus Wenceslaum cocum domini Pauli, fratris magistri Petri prothonotarii domini regis, ad presentiam nostram debeas evocare, ut sabbato in quatuor temporibus nunc proximo affuturis, quem sibi terminum pro primo secundo et tercio eidem peremptorium assignamus, Prage coram nobis in curia nostra compareat, . . mulieri, uxori sue, super federe matrimonii ad obiecta et de justicia responsurus. Formam etiam execucionis tue.<sup>1)</sup> remittas ad eundem terminum littera cum presenti. Datum etc.

No. 12. (c. 1287?) *Archidiacon M(iloslaus) empfiehlt dem Notar Ar(ioldus) den Ueberbringer des Schreibens L.<sup>2)</sup>*

Honorabili viro et amico suo speciali, domino Ar., terre Boem(ie) notario et in Christo fratri suo karissimo, M. divina pietate archidyac(onus) Bechinen(sis), Pragensis et Wysegradensis ecclesiarum canonicus, salutem et promptam ad omnia desideria voluntatem.

De prudencia vestra gerentes confidenciam plenioram ad vos exhibitorem presencium mittimus L, servum nostrum, petentes ut predicto exhibitori presencium in hiis que vobis ex parte nostra retulerit super negotio presentis steure fidem dignemini credulam adhibere.

No. 13. *Der Prager Dekan W. empfiehlt dem Kanonikus Th. der Wissegrader Kirche Milde beim Eintreiben der Steuer in einem genannten Orte.<sup>3)</sup>*

W.<sup>4)</sup> divina pietate Pragensis ecclesie decanus provido et honesto viro, domino Th., Wissegradensis ecclesie canonico, karissimo confratri suo et presentis steure per provinciam Lutmericensem<sup>5)</sup> notario, salutem et promptam et paratam ad desideria voluntatem. De providencia vestra et amiciecia speciali gerentes confidenciam plenioram vos requirimus presentibus et rogamus, quatenus pauperibus nostris in villa nostra Selechowiz,<sup>6)</sup> qui sunt plurimum pauperes et egeni, in presenti steura sitis

1) das folgende Wort undeutlich, weil Loch im Pergament. 2) cf. oben S. 495. 3) cf. oben S. 496. 4) vielleicht Welislaus (1276 bis 1302)? cf. Erben-Emler p. 1438. 5) „Litomerice provincia Bohemiae“ Erben-Emler p. 1340. 6) „Czelkowicz villa Prag. eccl.“ Erben-Emler pag. 1273.

eisdem pius, propicius et benignus,strarum precaminum interventu, quod circa vos, cum se locus obtulerit, promereri volumus totis viribus vice versa. Petimus insuper ut servo nostro Paulo,<sup>1)</sup> latori presencium, super negotio memorato, que vobis ex parte nostra retulerit, fidem dignemini credulam adhibere.

*No. 14. Der Prager Dekan W. ersucht den Kanonikus H. um Besorgung einiger Gegenstände.<sup>2)</sup>*

Honorabili viro domino et amico suo speciali, domino H., canonico Pragensis ecclesie, confratri suo karissimo et doctore decretorum, W. miseratione divina vel prudentia ejusdem ecclesie decanus salutem quam sibi et quicquid potest servicii et honoris. Vestram amicitiam scire volumus per presentes, quod si nos capitulum super electione canonicorum vel negociorum quibuscunque vos urgencium pro ecclesia memorata habere contigerit, vos litteris capitoli requiremus et easdem apud sororem Meczam per nostrum nuncium deponemus. Rogamus vos preterea, ut nobis, sicut per vestram gratiam promisistis, de usione pro una marca argenti risa et amigdalas pro nostra pecunia comparetis; quam pecuniam ad vestram bursam vel ubi mandaveritis<sup>1)</sup> cum gratiarum actionibus reponemus, et cum se locus obtulerit, nobis predictam usionem<sup>1)</sup> cum ceteris supradictis transmittetis.

*No. 15. Fragmente von Briefen.<sup>3)</sup>*

fol. 1 . . vestris sinceris tamquam securus inherens promociionibus, ad vos confugio confidenter, petens humiliter et instanter, quatenus tum propter Deum tum etiam meorum precaminum interventu Rudolfum nepotem meum, servitorem vestrum et filium vestrum adoptivum, non solum apud vos verum etiam apud illos, quos vobis et michi de vestro capitulo favorabiles esse scitis, velitis efficere, ut vestri principaliter ac ipsorum adjutus promociionibus collegio vestro velut fratri in domino mereatur congregari.

f. 2 . . rabilis et benignus. Insuper scias quod nos magistro Wernhero, scolastico Pragensi et canonico Olomucensi,<sup>4)</sup> confratri nostro, mandavimus per servum suum Benadam pro

---

1) undeutlich. 2) cf. oben S. 496. 3) cf. oben S. 495. 4) Ein magister Wernher, canonicus Olmuc. et Prag., scolasticus eccl. Prag., wird zwischen 1273 und 1303 (1305) öfters erwähnt, cf. Erben-Emler p. 1440.

tuo negotio, ut amore nostri te non debeat inpedire sed potius promovere. Tu autem medio tempore studeas proficere in moribus et disciplina et ubicunque poteris dominis complaceas de ecclesia Olomucensi et etiam extraneis prout<sup>1)</sup> . . . te conformes.

f. 7' . . magister Wernherus Pragensis et canonicus Olomucensis ecclesie frater meus . . . cō karissimis R. clerico vestro et filio adoptivo non sit favorabilis et benignus . . . si ita est quod absit, predicti magistri Wernheri animum mitigetis, si vobis videtur expedire et prout vobis Deus et dominus inspirabit; et ego viceversa negotia . . ecclesia Pragen. Wissegradeñ. et ubique locorum tamquam propria promoveo (?).

f. 4 . . . per presentes quod nos diligenti tractatu prehabito Ul(rico) exhibitori presencium . . . riam minere sive metalli in montibus nostris et foveis Chutnensibus comm(itte)nda et notanda, quam diu capitulo et dominis placuerit et videbitur exp . . . Qua propter de vobis plene presumentes petimus et rogamus quatenus negotia monci(um?) . . . et predictum Ulricum dignemini prout melius poteritis promovere; et nos vicever(sa) . . . vestram providenciam, cum se locus et tempus obtulerit, curabimus promereri.

f. 4' . . . vestram meo (?) libenti servicio promereri, ratum habiturus quicquid per vos . . . fuerit (?) negocius ordinatum.

. . . prepositus (?) Pragensis ecclesie, W. decanus ceterique canonici ejusdem ecclesie . . . honestis domino Hen. plebano in Chutna et Anthonio . . . salutem et quicquid poterunt servicii et honoris.

f. 2' . . . viro, domino et amico suo speciali, Cy. venerabili preposito ecclesie Olomucensis<sup>2)</sup> W. divina . . . Pragensis ecclesie decanus et predictae ecclesie Olomucensis canonicus reveren(tiam?) et honorem cum salute. De vestro legalitate et providencia gerentes confidentiam pleniorē vobis pro Rudolfo clerico et cognato nostro in Olomucz commemoranti . . . denter . . . preces meas petens liberaliter (?) et devote quatenus ipsum R. . . anti electione canonicorum que in proximo celebrabitur in ecclesia antedicta . . .

1) etwa zwei Worte unleserlich. 2) Cyrus archidiaconus postea (mindestens seit 1282, Juli 29) praepositus eccl. Olomuc., cancellarius Moraw. von 1272—1307 erwähnt; s. Erben-Emler p. 1271 und 550.  
— Corr. S. 470 Anm. 3 lies No. 4 st. 11.